








CHORUS EURIPIDEUS

COMPARATUS CUM

SOPHOCLEO.

SCRIPSIT

C. FRIEDERICHS,
DR. PHIL.



ERLANGAE,
SUMTIBUS ANDREAE DEICHERT.
1853.



Chorus Euripideus comparatus cum Sophocleo.

Cogitanti mihi de artis tragicae Graecorum depravatione, quibus indiciis posset deprehendi apertissime, summa ratio videbatur habenda temporum discriminis. Non enim potuit, quum belli Peloponnesiaci temporibus ita converterentur et vita et respublica et mentes cogitationesque hominum, ut dilaberentur, quae antea erant firmissima, ars tragica una resistere omnium rerum ruinae. Immo quoniam facile perspicitur poetarum antiquorum vel quicunque in aliquo sive artis sive doctrinae genere excellentes fuerunt, suā quemque cum aetate arctiorem habere conjunctionem, quam quos recentior aetas tulerit, artem ita cum temporum ratione cohaerere, ut quo magis haec corrumperentur, eo magis et illa a pristina sinceritate integritateque recederet, necessarium fere videtur. Recte igitur, opinor, de choris duorum poetarum tragicorum, qui principibus hujus generis sunt adnumerandi, pauca additurus, hanc ego quoque viam ingrediar, ut quaecunque alter vel novasse vel immutasse videtur, ea ad temporum maxime discrimina referam. Intervallum enim annorum, quo distat Sophocles ab Euripide, etsi brevissimum est, artis tamen est tantum, ut jure mireris, qui potuerint eadem aetate contineri. Artis autem diversitatem, quippe quae in summa versetur disceptatione, ita ut difficile videatur, qua deceat mentis ingenuitate judicare, nos ad totius artis Graecae, qualis fuerit diversis temporibus, diversitatem revocabimus. Quo facto me temere judicantis temereque Euripidem, quem longe Sophocle esse inferiorem ar-


bitror, accusantis speciem non esse prae me laturum spero. Atque videtur ars Graecorum, non solum quae verbis et sententiis utitur ad imitationem, sed etiam quae formis et figuris, a praestantioris cujusdam vitae imaginis descriptione ad communis vitae veritatem exprimendam descendere. Nam si recte comparamus cum Phidia Aeschyli sublimitatem granditatemque, cum Polycleto Sophoclis venustatem et pulchritudinem — solent ubique fere in artium curriculis quae sublimia vocamus antecedere pulchris — nonne Euripidem possumus conferre cum Lysippo? Illos enim, qui quasi in Deorum aulis versabantur, qui Deos, quos effinxerunt, ipsos spectasse ex epigrammate aliquo de Jove Phidiae putandi sunt, qui nihil nisi deorum heroumque simulacra arte digna censuerunt, secutus est Lysippus, qui artem statuariam a coelo quasi in terram detraxit, ut verae vitae similitudinem imitaretur, qui mortalis regis effigiem, quam superorum regis summi Jovis imaginem maluit exprimere. Huic autem simillimus est Euripides, qui et ipse tragoediam sui temporis usui et conditioni accommodans ab eo quo incedebat Aeschyli et Sophoclis temporibus cothurno quasi dejecit: cf. Aristoph. Ranas, 959 (Dindf.), *οἰκεῖα πράγματ᾽ εἰςάγων, οἷς χρώμεθ᾽, οἷς ξύνεσμεν;* et Aristot. Poet. c. XXV: *οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ, οἷοι εἰσί* etc. Nam quod Hartungus — de quo quum infra sexcenties mihi erit dicendum, hic statim dico, me, si contradicere ausim plerumque summo viro, idcirco non ignorare, quanti sit ejus opera aestimanda, immo quo magis acumen et ingenium ejus admirer, quo Euripidem defenderit, eo magis me dolere, tanto eum nonnunquam studio poetae esse abreptum, ut veterum sinistros de Euripide locos, qui nullam suspicionis ansam praebent neque ante Hartungum praebuerunt, in gratiam poetae emendaverit et modum saepe et partes defensoris excesserit — quod igitur Hartungus summae Euripidi tribuit laudi, eum id semper studiosissime esse secutum, ut fabulas praesenti temporum usui accomodaret, itemque ut homines quales sint, non quales esse debeant, effingeret,

hoc equidem non possum, quin summo ei vertam vitio; nam cum artis imagine, quam ego mente infixam teneo, neutiquam concinit. Mihi enim videtur verae artis esse, mentem a rebus praesentibus, quibus implicita est atque turbata, avocare et in loca quaedam iis, in quibus quotidie versamur, perfectiora tranquillioraque efferre, ut obliti qua cohibeamur angustia, qua premamur inopia, libera mente intueamur imagines rerum splendidissimas, rebus ipsis longe praestantiores. Quam studiose autem Euripides id sit sectatus, ut fabulis immisceret ad rempublicam vitamque pertinentia, de ea re cf. Hartungum multis locis: Eur. restit. I., 23, 37 etc., Pflugkii praef. ed. s. pag. XXXI. Raspe Quaest. Soph. Part. I., p. XXVIII. Eadem est ratio comoediae Graecae. Aristophanes enim etsi labenti reipublicae summa contentione obnititur partesque civium turbulentorum acerrime per omnes castigat fabulas, tamen ita nos abripit a praesentium rerum miseria, ut modo in nubium vicinitate versemur, modo descendamus ad inferos. Menander vero, princeps ille recentioris comoediae, quem Odofredus Muellerus in hist. litt. Graec. II, 280 tam similem esse Euripidis judicat, ut maxime sit cavendum, ne alterius fragmenta confundas cum altero, arte vitam suae aetatis privatam imitabatur. Jam vero philosophorum Platonis et Aristotelis nonne eadem est ratio? Quorum quas alter intuetur rerum formas, omnis rerum vicissitudinis expertes, dum cetera nascuntur et occidunt, eas hic ad terram quasi revocavit ipsisque in rebus haerere demonstravit. Porro quam ille expressit reipublicae imago, etsi nonnulla sane ex Graecorum maximeque Lacedaemoniorum institutis petita continet, tamen ea profecto est, quam mente sibi conformaverit philosophus, non ex rerum similitudine duxerit. Hic autem quae cognovit ut ad ea, quae sub oculos cadunt, referat, quis non videt! Haec est igitur Graeci ingenii conversio, ut defixi in praestantissimis rerum formis paullatim ad res ipsas intelligendas exprimendasque se conferant. Magna est praeterea Euripidis cum arte statuaria, qualis fuerit Alexandri aetate, similitudo; velut quod ille

studiosissime secutus est, ut spectantium animos molli miseratione permoveret, hic quoque saepissime videmus expressum. Odof. Muelleri Archaeol. p. 111. Sed ne longus sim atque a re aberrem, hoc affero ad ipsum propositum pertinens. Non enim solum et vita et ingenium Graecorum a rerum imaginibus descendunt ad rerum veritatem, sed etiam vinculis, quibus antea erant constricta, soluta quasi fluunt. Per rempublicam inde a morte Periclis manat licentia, vitae privatae integritas corrumpitur peregrinas per meretrices; philosophandi sinceritas inani sophistarum jactatione contaminatur, dicendi gravitas ad mollius fusiusque genus deflectit, cf. Od. Muell. Arch. p. 79: actio et oratorum et histrionum antea modesta fit intemperantior (ibidem); musici modi numerique auctore Timotheo, Euripidis familiarissimo ab antiqua severitate ad flebile quoddam ac molle genus demutantur, opifices a tranquilla illa sublimitate et placida quadam constantia, quam Winckelmannus admiratur, ad vehementiores affectus reddendos procedunt. Nolo amplius progredi, id sane apparet, licentiam per totum quasi rerum Graecarum corpus manare. Quod si verum est, tragoediam quoque esse infectam liquet. Nihil igitur mirum, si in tragoediis belli Peloponnesiaci temporibus scriptis eam desideramus fabularum concinnitatem aptamque membrorum compositionem, quam in superioribus admiramur. Eam autem dico fabulae concinnitatem, quae ita est comparata, ut omnes partes inter se aptae colligataeque videantur, ut nihil redundet, nihil sit alienum, ut quae aguntur quaeque canuntur, quodammodo sint inter se pensata, denique ut tota modo ac forma sit temperata. Quae si omnia Sophocles assecutus esse videtur, Euripidem negligentius versatum esse in fabulis componendis statuendum est. Temporum enim licentia ejus ars infecta est idque duplici modo: et metra et fabularum structurae dilabuntur. Alterum illud, a Godofr. Hermanno excogitatum, de Graecae ling. dial. p. IX. luculentissimum semper mihi videbatur exemplum, quo intelligeremus, in rebus Graecis nihil temere atque casu fieri, sed omnia arctissimo societa-

tis vinculo inter se contineri. Quid enim? nonne Aristophanis trimetri effrenatam multitudinis licentiam illo tempore regnantem depingunt? Apud quem fere ne unus quidem versus est, qui antiquo mori conveniat. Sed non solum metra, verum etiam totius fabulae structura corrupta est temporum conditione. Nam quum Sophoclem, omnium consensu principem tragicorum, tragoediae partes, quas Aristoteles enumerat, Poet. c. XII, ita videamus copulasse, ut aptae sint inter se et convenientes, Euripidem eas a corpore quasi fabulae ita sejunxisse, ut totum quiddam efficere non potuerit, facile intelligimus. Primum enim prologum i. e. partem tragoediae ante chori parodum, quam ille arctissime cohaerentem fecit cum sequentibus iisque tamquam fundamentum substruxit, ab ipsa actione sejunxit; deinde idem fecit in exitu fabulae, qui quum apud illum necessaria quadam continuatione ex rerum conditione sequatur, apud hunc a deo extrinsecus allato efficitur; postremum chorum, quem Sophocles participem esse voluit actionis, ab ea separavit. Quemadmodum igitur quae rempublicam, quae vitam, quae mentes Graecorum coercebant vincula, remissiora fiunt, ita tragoediae. Quod de choro demonstraturi, si quid veri invenerimus, id ad hanc confirmandam sententiam aptum velimus videatur. Atque quaerenti mihi, quodnam munus deferret Euripides chori partibus, videbatur necessarium, quo eum metirer, Sophoclem addere, quem ut in ceteris, ita in hoc genere auctorem sequi solemus. Quicunque enim de chori natura in universum disputarunt, quae statuunt, ex uno Sophocle ut longe praestantissimo petisse videntur. Quod quo jure fecerint, nolo quaerere; id certe mihi persuasum est, qui de Euripidis choro scripturus sit, eum non posse, quin eum cum Sophocle componat. In quo quum nolim, quae alii majore quam qua ipse possum et doctrina et ingenio disputarunt, repetere, rem ita instituam, ut quae mihi vel omissa vel obiter tantum tacta videantur, uberius explicem, in ceteris me illorum judicio adjungam.

Mihi enim videtur Sophocles choro id tribuisse, quod


600095880-



et alios eadem esse perpessos, vehementior animi affectus ad leniorem quendam recedet. Idem efficitur, ubi, quem indignissimam fortunam subire putabamus, eum sua culpa vel potius non sine aliquo peccato — in nulla enim Sophoclis tragoedia fatalis necessitas regnat — hanc pati intellexerimus. Foedum enim esse visu, censet Aristoteles, Poet. c. XIII., si probum aliquem atque insontem malis videmus affectum, peccato esse aliquo opus. Quod ne nos fugiat, poeta per chorum providet. Nolo hoc loco longus esse exemplisque firmare sententiam meam, quum mihi in mente sit, de singulis fabulis breviter exponere. In quarum temporibus quum magna sit controversia, imprimis de Ajace, sequor Schneidewinum in Praefat. ed. Aj. alt. p. 29, cujus argumentis aliud addiderim ex chori natura petitum. Video enim et in antiquissima Sophoclis fabula et in novissima, in Oedipo Coloneo, chorum non solum de actoribns rebusque, quas agunt, verba facere, sed etiam suas res curare suisque de miseriis queri. Nam neque in iis fabulis, quae sunt Sophoclis et totius artis Graecae quasi exemplaria, in Antigona, Oedipo Rege, Electra neque in Trachiniis et Philocteta unquam deprehendimus chorum de suis rebus dicentem. Et recto, opinor, consilio poeta ita fecit. Noluit enim nec potuit per artis leges, quem percipit animus spectatoris, dolorem dividere quasi inter chorum et actorem, sed totum ad alterum conferre. Ajax autem propior est artis tragicae initiis, quae quum tota sit e chori canticis nata, eundem usque ad Thespidis tempora primo loco collocabat. Quo autem magis ars accedebat ad perfectionem, eo magis restringebantur chori partes, nec tamen adeo, ut vel in Aeschylo omnia prioris conditionis vestigia desiderarentur. Videmus enim in duabus ejus fabulis, in Supplicibus et Eumenidibus, chorum alteram tenentem causarum, quarum conflictione nititur fabula. Sophocles demum in perfectissimis illis fabulis chorum ita coercuit, ut nihil de suis rebus vel dolendum vel cogitandum praeberet spectantibus, sed totum se traderet rebus agentium. Euripides denique, quod infra uberius

exponam, redit quasi ad superiorem rationem. Hic satis habebo, Troadas afferre, in quibus duae deplorantur calamitates, altera Hecubae, altera chori. Redeo ad Ajacem. Atque loci, ubi chorus de suis cogitat miseriis sunt hi — sequor numeros versuum Schneidewinianorum in fabulis ab eo editis, in ceteris Wunderianos —: v. 254. 255. 598. seqq. 900. 1185 seq. et in Oed. Col. 1239.

Jam singula pertractantes singulis locis, quo modo Sophocles per chorum afficere voluerit mentes audientium, explicabimus. Ac statim Ajacis parodus est ad ejus artem perspiciendam luculentissima. Praeparat enim animos. v. 141. ad tristia quae sequuntur, ad mortem Ajacis, ne calamitas ex improviso irruens opprimat animos spectantium. Aliter enim ac nostri aevi poetae, qui spectantes per scenarum continuatarum seriem raptas vexant et exanimant, sub finem autem fabulae subita rerum conversione percellunt, antiqui diligentissime cavebant, ne quid inopinato accideret, melius, opinor, perspicientes, quid esset aptum tragoediae animoque humano. Nam quae subito incidunt mala, ea frangunt atque percellunt animum, quae autem longe ante venientia videmus, ea commovent quidem mentem, nullum tamen terrorem, nullam perturbationem afferunt. Videtur autem poeta per chori parodum id efficere studuisse, ut statim qui spectabant tali modo afficerentur, quali decet fabulam spectare. Est enim, ut Odof. Muell. in Hist. Litt. Gr. II, 89 dicit, divinatio futuri mali mixta cum metu maxime conveniens tragoediae. Hanc excitat plerumque chori parodus, quod pluribus exemplis firmabo. Et in Aeschyli Agamemnone quis est quem non tristis ille cantus senum Argivorum, quem canunt in scenam prodeuntes, summa impleat anxietate? quem non illud *αἴλινον αἴλινον εἰπὲ, τὸ δ'εὖ νικάτω.* Est re vera tamquam avis sinistra imminentis calamitatis praenuncia. Quem excitent chori carmina in Agamemnone affectum, optime describunt Schilleri verba:

Längst zwar sah ich im Geiste mit weiten
Schritten das Schreckensgespenst herschreiten

Dieser entsetzlichen, blutigen That;
Dennoch übergießt mich ein Grauen,
Da sie vorhanden ist und geschehen,
Da ich erfüllt muß vor Augen schauen,
Was ich in ahnender Furcht nur gesehen.

Tales affectus sunt tragoedia dignissimi. Porro in Aeschyli Persarum parodo v. 93. et saepius, quem non tangunt illa de interitu exercitus praedicta, summoque afficiunt metu! Nam etsi scimus, ab Aeschylo ut rerum mirabilium studioso spectantes saepius obstupefactos esse novitate miraculi — id quod Aristophanes in Ran. v. 932, 937 seq. venustissime perstringit — et horrore esse perfusos, velut quum Eumenides in scenam prodirent, tamen nunquam fere neglexit, id quod saepissime Euripides, paucis ad ea quae sequuntur advertere mentes audientium, sicut ipsarum Eumenidum introitum et in fine Choephororum et in initio Eumenidum significavit. Multum autem prodest provisio animi et praeparatio ad minuendum vel dolorem vel metum. Quod quin Sophocles perspexerit, qui nihil tam caute vitat, quam quae nimia sunt, quis dubitat. Multi autem sunt loci praeter Ajacis parodum. Electrae enim parodi eadem est ratio. v. 465 seq. Tum in Oed. R. v. 883 seq. Jocastam propter impie dicta poenas esse subituram indicat. Cf. ejusdem fabulae v. 1073—1075; Ajacem 229, 583. Antig. 1091 seq. 1251. Nec per chorum solum rerum futurarum adventum praedicit, sed etiam quae Dejanira in primis Trachiniarum versibus praeloquitur, tristem fabulae exitum significant. Haec omnia Sophocles eam ob causam ita instituit, ut terrorem, quem ipsius calamitatis adventus secum allaturus esset, diminueret; nam quod apud Ciceronem in Quaest. Tuscul. III, 14 legere me memini, praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris. Quid vero? num id tantum egit, ut mala aequiore animo videremus? immo ne laetissimas quidem res objicere voluit repentinas. Exemplum praebet Philocteta, quae fabula per summas miserias ad laetum rerum exitum perducitur. Quod

ne fiat spectatoribus nihil opinantibus, chorus in carminis fine, quod legitur in v. 679—729, in laetam conditionem Philoctetae miseriam sese esse conversuram, praedicit. Haec verba etsi minime conveniunt chori partibus, quas per totam fabulam sustinet, aptissime tamen advertunt animum ad Herculem sub finem prodeuntem, cujus auctoritati cedit Philocteta. Videmus igitur Sophoclem nec laetitia nec dolore opprimi voluisse mentem, quia fugit nimia. Euripidem vero quam studiose sectetur, quae inopinata sunt, testantur plurimarum fabularum exitus, ubi dii prodeunt nihil opinante spectatore. Choro autem Sophocles quum tribuerit, ut animos spectantium ad fabulae exitum dirigat divinantesque de eo faciat, rectissime eum fecisse, non est quod moneam. Transeo ad chori carmen, quod est in Ajace inde a versu 693. In quo gaudeo, quod alterum scholiastarum habeo mecum consentientem. Dicit enim: *τέρπεται ὁ χορὸς ἐπὶ τῷ παύεσθαι τῆς νόσου τὸν Αἴαντα καὶ φησίν· ὑφ᾽ ἡδονῆς ἔφριξα καὶ βούλομαι χορεῦσαι· ευεπίφορος δὲ ὁ ποιητὴς ἐπὶ τὰς τοιαύτας μελοποιίας, ὥστε ἐντιθέναι τι καὶ τοῦ ἡδέος.* Sed non de Ajace solum videtur dicendum, sed etiam, quum alibi inveniantur hujus carminis simillima, longius progrediendum. Etenim in quatuor fabulis Sophocles ante ipsam rerum conversionem chori carmina interposuit, quae tantam quasi spirant tranquillitatem tantamque suavitatem, ut jure mireris, cur hoc loco ante ipsum rerum tristissimarum adventum ea inseruerit. Schneidewinus quidem ad v. 1088. edit. Oed. R. ejusmodi censet cani carmina ex collatione (des Contrastes wegen). In hac tamen re ausus sim summo viro eidemque magistro maxime venerando, cui quantum debeam grata semper memoria tenebo, contradicere. Quid enim? Qui contraria cum contrariis componit, nonne vult alterius vim augere? Voluit igitur Sophocles his carminibus efficere, ut calamitatis, quae sequitur, tristitia magis elucesceret magisque percelleret mentem spectatoris. Immo vero tantum mihi abesse videtur, ut hoc fuerit poetae consilium, ut voluerit minuere et tem-

perare sequentis calamitatis atrocitatem. Idem, opinor, Shakespearium movit, ut gravissimis fabulis veroque tragico cothurno ingredientibus immisceret hilares illos Falstaffii aliorumque jocos. Non enim, ut sumus mortales, exhaurimus, quae affatim dantur acerba, nisi dulce quiddam instillaveris. Sed ut redeam ad Schneidewinum haec carmina ideo esse interposita statuentem, ut calamitas magis exstet atque emineat — illum Sophoclem, qui nihil tam studiose fugit, quam quod nimium est, qui acerbissima quaeque mitigat suavissimis, ita ut Antigonae Electraeque asperitatem temperet venustate Ismenae et Chrysothemidis, ut Oedipo Regi effossis oculis foedo tenerarum puellarum praebeat amplexum, ut Dejaniram et Eurydicen mutas faciat decedentes, ne nimiis querelis crucient spectatorem satis agitatum, illum igitur voluisse his carminibus augere modum tristitiae, quum semper tenere modum quam excedere malit, non intelligo, illud vero, quod ipse proposuerim, mihi videtur vere Sophocleum, vere Graecum. Jam, opinor, colligi potest, non sine aliquo jure me supra statuisse, chori Sophoclei esse *τὸ μετριάζειν.* Quatuor autem, quas antea dixi, fabulae, in quibus hoc carminum genus invenitur, sunt Trachiniae, 684 seq., Ajax 693—717, Oedipus Rex 1088—1109, Antigona 1151—1152. (Suspicor Bacchi laudes ideo esse injectas in his carminibus, ne videretur poeta deum, cujus est theatrum, cujusque ipse est minister, neglexisse. Querebantur enim, ut proverbium illud testatur, *οὐδὲν πρὸς Διόνυσον*, dei in cujus fatis imitandis laudibusque exornandis tota primo versabatur traegoedia, postea nullam fere fieri mentionem. Quod in crimen ne incidat neque dei videatur negligens poeta, qua est summa pietate, Bacchum his locis celebrat. Quamquam non nego, Bacchum invocari ut Thebarum patronum, rebus esse convenientissimum.) Ex Ajace unum reliquum est afferre, nam omnia omnium fabularum cantica pertractare per hujus dissertationis fines non licet - versus 1118.1119. De iis enim, quibus chori dux dialogum interpellat, miror Hartungum ita statuere, quasi sint nihili aestimanda: Dicit

enim in editione Jonis ad vers. 826—828: Spart nicht der Chor überall diese Bemerkungen, die ja ohnehin meistens nicht viel mehr bedeuten als Lückenfüllungen und Uebergänge, um der zunächst sprechenden Person Zeit zum geordneten Anheben zu geben, auf das Ende auf? Quod si verum esset, in altercationibus choro nullus locus daretur. Mens enim concitata non fert interpellantes, immo excipit nullo intervallo admisso ejus, qui contra stat, sermonem. Chorus autem ubique fere talibus locis interloquitur, ubi vehementiore affectu verbis inter se quasi concurrunt adversarii. Nec solum Sophocles, sed etiam Euripides scenicarum controversiarum amantissimus, quas e similitudine moris sui temporis judicialis duxit, per chorum altercantes ad tranquilliorem animi habitum revocat. Exemplum praebent in Alcestide Pheres et Admetus vehementissime inter se certantes. In Sophocle omnes fere huc redeunt loci, ut moderetur chorus, quae intemperanter dicta videntur. Nec prava tantum coercet studia, sed etiam qui causa freti vel justissima incontinenter procedunt, retrahit, ut Electram in El. 206. 362. seq. cf. 597 seq. 1152. seq. 815 seq. cf. Antig. 724. seq. 834. seq. Phil. 1181. Oed. Col. 1693. seq. 1720 seq. Alterum habemus exemplum, quo videmus in medullis quasi Sophoclis haerere justi modi observandi studium.

Jam eligo chorum in Oed. R. 1186., quo aliam chori virtutem demonstrem. Nullum fere carmen chori Sophoclei sententia aliqua universa caret. Revocat enim singula mala, quae videmus, ad leges universas aut ad communem generis humani sortem, ut in hoc carmine, aut ad ea, quae divinitus constituta violare nefas est, ut Oed. R. 864 — 910. Tenax enim est chorus Sophocleus pietatis diis praestandae, tenax oraculorum casta mente colendorum. Quod quam sit aptum ad consolandos animos sedandosque vehementiores affectus, quis non videt. Nam quae uni accidunt, eadem esse omnium communia si demonstraveris et legibus divinis esse sancitum, qui peccaverit, eundem poenas subire, mirum

quantum erigimur. Labentes quum videmus, quae sunt fragiles, res humanas, res divinas, quae semper eaedem nec nascuntur nec occidunt, admiramur. Antig. 582 seq. 605 seq. Haec est *παθημάτων κάθαρσις*, quam Aristoteles vocat. Nautarum instar in mari vi ventorum agitato versantium, ubi sidera caelestia orta fuerint, vires animumque recipientium: nos quoque inter tempestates, quibus agitatam videmus rerum humanarum conditionem, ubi leges illas divinas tamquam sidera fulgentia adspexerimus, ex omni miseria elati mirum in modum reficimur. Hoc autem est chori, ut spectantes a tristi mortalium fato avocet erigatque ad res coelestes contemplandas. —

Redeo ad carmen in Oed. R.: *ἰὼ γενεαὶ βροτῶν.* Hanc sententiam, quam statim in initio carminis pronuntiat, neminem esse beatum praedicandum Oedipi fatis colligit, quae singula persequitur. Haec est omnium fere stasimorum ratio, ut ea, quae personis dramatis accidunt, universis sententiis complectantur. cf. Oed. R. 864—710. Ant. 552—625 etc.

Huic consolandi generi, quo ad jura divina refert chorus calamitatem, simillimum est illud, quo fabularum exemplis praesentem levare studet miseriam. In summo enim dolore sumus, ubi neminem unquam nostra mala aequiparasse putamus. Quod ne putemus, haec carmina composuit Sophocles, quorum exempla sunt in Antig. 944—987. Phil. 676 seq. El. 815. Atque de loco Antigonae Heldius in egregio programmate de choro ejusdem fabulae p. 19 monuit comparationem inter Antigonam et Danaen Cleopatramque institutam eo tantum esse referendam, quod simile fatum unicuique immineat. A poenae igitur, quam subitura est Antigona, crudelitate atque immanitate detrahitur aliquantulum, ubi eandem aliis quoque fuisse statutam audiverimus. Simul efficit poeta, cum sortem Antigonae cum heroinis comparat, ut mente eam in eundem locum efferamus. Lycurgi exemplum Creonti magis convenire acutissime Heldius demonstravit; idem mihi persuasit, chori carminis, quod

marum descriptionem, in qua quum per duas strophas versatus sit, descendit laetum exitum praenuncians. Sufficiant haec ad artem perspiciendam, qua Sophocles chori carmina composuerit. Hoc sane spero fore apertum choros Sophocleos continere atque inter se miscere sententias universas et singula quae in fabula aguntur. Quo autem modo haec inter se conjunxerit atque miscuerit, eo potissimum cernitur ars Sophoclea, eo denique placata illa doloris vehementia, mitigataque affectuum commotio, quae mirum est quam suaviter afficiat animum. Exempla sunt haec: El. 168—177; 1041. seqq. Trach. 494—517; 812—849. Antig. 780—800; 582—625. Oed. R. 864—910. Phil. 169—190. Oed. Col. 1213—1248.

Restat ut de eo, de quo diversissimae virorum doctissimorum sententiae sunt propositae inde ab Heerenio, utrum quod edit chorus judicium de rebus, quae aguntur, verum sit, in eoque elucescat ipsius poetae mens nec ne, quid ipse sentiam, afferam. Sed non nostrum est, tantas componere lites, hoc dico Schlegelii multorumque, qui eum secuti sunt, sententiam recte esse refutatam a Welckero maximeque a Gruppio, cui addas Klanderi dissertationem de choro Sophocleo. Kiliae 1840. Paucissimis, ne decantem ab his dictata, rem absolvam. Antigonam quaeso si quis legat, num eadem sentiet cum choro? Quippe qui per maximam fabulae partem, id quod spectator statim perspiciet, non sentiat, Antigonam, si non omni vacet culpa, tamen causa justissima niti, sub finem tandem ad sanitatem redeat, qui ne plebis quidem cum judicio consentiat, quo non vituperari Antigonam, ut leges Creontis negligentem, sed ut mortuorum jura defendentem laudari dicit Haemon. Ant. v. 693. seq. 733. At non potuit aliter rem instituere poeta. Quanto enim si ab initio chorum a partibus Antigonae stantem finxisset, imminuisset morum sublimitatem, quam Antigona ab omnibus deserta praebet. cf. Klanderum. Idem factum esset, ubi in Philocteta secutus Aeschylum Euripidemque induxisset chorum Lemniorum cf. Dion. Chrys. Orat. LII, 15. Reiske.

Porro si rationem quatuor illorum carminum, de quibus egi p. 15 sq., perspexeris, poetam choro instrumento esse usum, quo et personarum mores efferret, ut in Antigona, et mentem spectatoris leniter afficeret, adeo quidem ut chorum neutiquam sibi constantem ausus sit proponere, satis erit manifestum. Antigonae enim carmen consideremus. Abit Tiresias omnia, quae fabulae exitus detegit, eventura esse Creonti vaticinatus abeuntemque unquam inania cecinisse urbi negat chorus 1091—1094. Quid vero? Hujus, quam paucis versibus ante ediderat, sententiae oblitus in carmine illo v. 1115. seq. rem ad laetum eventum perductum iri sperat. Non igitur sibi constat, quia poetae erat consilium, ante res tristissimas ἐντιθέναι τι καὶ τοῦ ἡδέος. Eadem est ratio carminis quod est in Philocteta. Chorus enim hujus fabulae, id quod convenit moribus personarum, ex quibus constat, nihil aliud fere agit, nisi ut insidias, quas struunt Ulixes et Neoptolemus, adhortando adjuvet. Cum hac autem chori imagine quomodo concinunt, quae canit in hoc carmine? In quo non dissimulat fraudem, cujus est conscius, nihil est enim, cur eam dissimulet, si quidem exiit Philocteta. *) Quid igitur movit poetam, ut mutatam redderet chori sententiam? Nihil invenio, nisi quod poeta non tam quae choro congruunt quam quae animis spectantium sunt convenientia, respexit. Quamobrem chorum easdem per fabulas semper tueri partes nego. In contrarias potius sententias distractus sibi minime constat. In ceteris fere omnibus consentio Gruppio, quem id potissimum summo demonstrasse acumine puto, spectantes multo rectius choro veram rei conditionem perspicere, meliusque fabulae exitum divinare. Nam quae choro statim in parodo, ut supra vidimus, in mentem veniunt conjecturae de tristi rerum conversione, quae spectatorem tali afficiunt anxietate, ut ne momentum quidem temporis sine aliquo metu spectet nec quae laetissima videntur, eas chorus minime retinet, immo fluctuat neque unquam fere in eadem remanet

*) cf. Haage de Sophoclis Philocteta.

sententiâ. Ut igitur omnino Sophocles chorum ad animi naturam quam verissime effinxit, ita hac, quam dedit choro, inconstantia atque mutabilitate mentis depingit quodammodo spem metumque, inter quae ipsi spectantes suspensi tenemur. Non enim fert animus humanus per totam fabulam uno metu affici; sed quamquam semper metum quendam alit, tamen vult respirare laetisque rebus recreari, et quantum licet, rem in feliciorem eventum sese esse conversuram, sibi persuadere. Hoc igitur, ut Sophoclem absolvam, mihi pro certo stat, chorum Sophocleum id potissimum egisse, ut animos spectatorum afficeret et in quadam mentis tranquillitate retineret. Quod si verum est, ipsa chori inconstantia tantum abest, ut vitio sit tribuenda poetae, ut summae artis sit documentum, in qua id semper summa admiratione amplector, quam sit temperata quamque egregie ad animi naturam accommodata. —

Jam ad Euripidem transeo, sperans fore ut, quae de Sophocle mihi videbantur praemittenda, in aliquem usum possim convertere. Animum autem paene despondi, quum in tanta fabularum varietate tantaque chororum diversitate quaererem, ad quam normam eos referrem. Nullam tamen viam inveni, nisi deinceps temporum ratione habita de uniuscujusque fabulae choro disputandi, si quid invenirem vel omnium vel maximae partis commune. Anni autem, quibus docebantur Euripidis fabulae, satis ex fabularum Aristophanearum temporibus, quae scimus, possunt colligi, quamquam non ita, ut omnis controversia tollatur. Ego sequor Hartungum, quocum paucis exceptis facit Bernhardyius. (Hallische Encyclop. s. v. Eur.) Rhesum omitto, quippe quem adhuc valde dubitant fabulis Euripidis adnumerare. E fragmentis ea tantum affero, quae non in dubium sunt vocata. Versus, quos exhibeo, sunt Matthiaei.

Atque in Alcestide, quae ex testimonio scholii nuper inventi antiquissima est fabula Euripidis, non mihi videtur chorus intercinere, quae minus rei conducant neque evagari canticis extra actionis terminos, sed tam esse conveniens rerum statui quam qui maxime apud Euripidem. Prodit autem chorus senum Pheraeorum — Euripides mulieribus vel virginibus chori partes deferre amat; tres tantum sunt eaeque superiores ex tanto fabularum numero, quibus chorum virorum tribuit — certior factus de morte Alcestidis instante ad aulam regiam, incertus utrum jam acciderit, quod metuit, an in luce adhuc versetur regina. Hac de re brevi inter dichoreos instituto colloquio se congregat chorus v. 109 canitque carmen, cujus argumentum est: de salute esse desperandum, nullum posse inveniri remedium, nam qui unus potuisset afferre, eum Jovis fulgure domitum ad inferos descendisse. Apte poeta hoc carmine praeparat animum ad mortem Alcestidis, quam mox praesentem videbimus. Quo facto chorus naeniam cantat, qua sempiternam fore praedicit. Alcestidis laudem apud posteros, quippe quae pro marito ipsam vitam fundere ausa sit, renitentibus quos per senectutem magis decuerit e vita egredi. In hoc carmine et rei aptissimo et verbis splendidissimo unum deprehendo versum, in quo, id quod saepius factum videmus, ipsum Euripidem in persona chori audio dicentem v. 491. Etenim quum sciamus eum non semel tantum levitatem et inconstantiam mulierum esse expertum, suspicor de suis ipsius fatis cogitantem poetam hunc versum scripsisse. De carmine, quod sequitur, v. 586—621 non aliter judico ac de superioribus. Antecedentem enim scenam spectantes eum percepisse sensum necesse est quem proloquitur chorus. Admiramur enim Admetum, quod dissimulata morte Alcestidis suppressoque vehementissimo dolore audet et amicitiae et hospitalitatis officia tueri Herculemque domum intrare jubet. Quid igitur mirum, si chorus summis laudibus effert liberalem Admeti domum, in qua ne Apollo quidem aspernatus sit habitare, id quod suavissima prosequitur descriptione. Nec

solum describit Admeti potentiam liberalitatemque exornat, sed ad sententiam ascendit universam, in qua totius rei quasi cardo versatur, v. 616 et qui sequuntur, quos versus ita fere esse explicandos: animus generosus ad virtutem effertur, Naegelsbachius, summus vir idemque magister maxime venerandus me docuit in scholis semestri aestivo anni 1851 habitis. Deinde non sunt omittendi v. 620 sqq. fabulam ad laetam conditionem sese esse conversuram significantes. Chorus pluribus locis ea, quae uni videntur accidisse, omnium ex rerum humanarum conditione esse communia ostendit v. 430 sqq. quibus quae insit vis disserentes de Sophocle supra vidimus.

Versus, quem Sophocles non potuit choro tribuere, est v. 766. Dubitanter enim dicit de rebus mortem secuturis. Nusquam enim apud Sophoclem videmus chorum de rebus divinis dubitantem, immo custos est deorum antiquitus traditorum eorumque quae instituerunt; Euripides vero non solum sexcenties fecit de rebus coelestibus philosophantes suasque ipsius proponentes sententias, sed etiam parcius quidem choro hanc tribuit partem. Verecundius, ut dixi, loquitur chorus his de rebus, opinor, ne ab ea, quam antiquitus receperat, parte nimis aberret populique sensum offendat. Hoc brevi carmine cantato vacua fit scena, ut in Euripidis Helena, in Aeschyli Eumenidibus, in Sophoclis Ajace.

Exequiis absolutis chorus redit cum Admeto alternisque lamentationibus sese excipiunt, quod colloquii genus commum vocant. Aptissime consolatur chorus et exemplis allatis et misera conditione mortalium, qua calamitate non possint carere, descripta v. 915. 949. Exemplum illud acute vidit Welckerus esse Anaxagorae, Euripidis familiarissimi, cujus memoriam his verbis posteritate voluerit tradere. Sophocles quidem maluit exemplis a mythis Graecorum petitis ornare praesens malum, ne diversa, opinor, cum diversis confunderet neve suas immisceret res; Euripides vero morem, quem per omnes fabulas studiosissime observat, ut sui temporis conditioni eas quam maxime accommodet suarumque rerum

injiciat mentionem, eum hic quoque retinet. Alterum ejusdem rei exemplum statim in sequentibus versibus legitur, v. 977 sqq., de quo carmine uberius erit exponendum. Carmen ipsum minime vituperandum, apte convenit loco et bene est compositum. Continent stropha α et antistropha α universam de fatali necessitate disputationem, stropha β et antistropha β ad Admetum transeunt ei obnoxium. Vitupero autem carminis initium, quod minus convenit choro quam ipsi poetae. Sic scholiasta: ὁ ποιητὴς διὰ τοῦ προςώπου τοῦ χοροῦ βούλεται δεῖξαι, ὅσον μετέσχε τῆς παιδεύσεως. Καὶ περὶ μετεώρων ἐφρόντισα, οἷον ἠστρολόγησα καὶ ὁρμὴν ἐπὶ τούτῳ ἔσχον. Acerrime in Euripidem hanc ob causam invehitur Plutarchus, quem laudat Matthiaeus IX. p. 393 frg. inc. CXXXII. Ὁ γοῦν Εὐριπίδης εἰπών, Εἰ δῆσαν κ. τ. λ. φορτικωτάτῃ κέχρηται μεγαλαυχίᾳ συγκαταπλέκων τοῖς τραγῳδουμένοις πάθεσι καὶ πράγμασι μηδὲν προςήκοντα τὸν περὶ αὑτοῦ λόγον. Haec enim est temporum depravatio. Ut in republica antea communis omnium salus summa erat lex, mox autem sua quisque curabat, ita in tragoedia de se verba faciunt poetae, quae toti fabulae prosunt iis, quae sibi conveniant, postponentes. Quam autem sit alienum a tragoedia hunc in modum suas res injicere poetam, non est quod dicam. Attamen Euripides multis in fabulis eum morem est secutus, cujus rei testis est Pollux IV, 111. τῶν δὲ χορικῶν ᾀσμάτων ἕν τι καὶ ἡ παράβασις, ὅταν ὁ ποιητὴς πρὸς τὸ θέατρον βούλεται λέγειν, ὁ δὲ χορὸς παρελθὼν λέγῃ ταῦτα. Ἐπεικῶς δὲ αὐτὸ ποιοῦσιν οἱ κωμῳδοποιηταί. Τραγικὸν δὲ οὐκ ἔςτιν, ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. Ἐν μέν γε Δαναΐδι (Welckerus: Δανάῃ) τὸν χορὸν, τὰς γυναῖκας, ὑπὲρ αὑτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν, ἐκλαθόμενος, ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. cf. Welcker, griech. Trag. p. 643., Lessing., vita Soph. 335., Hartung. I., p. 88.

Danaës versus, ad quos respicit Pollux, non exstant; Hippolyti autem carminis, quod legitur v. 1101 sqq., similis

est ratio. Mulieres enim de rebus sublimioribus disserentes masculino utuntur genere verborum. cf. schol. Rectissime negat Pollux hoc *παραβάσεων* genus esse tragicum, immo accedere ad comoediae similitudinem. Exempla hujus generis sunt haec: Alcest. v. 977 sqq. Med. 1070—1105. Herc. fur. cfr. Hartung, ad v. 646 ed. s. Hartung. Hel. 1097. frg. Chrys. VI. cf. Welcker p. 535. Hartung. I., 139, ubi carmen legitur doctrinam Anaxagorae, quo magistro usum esse poetam constat, explicans, fr. inc. 174. 177. Matth. de eodem argumento disserentia fr. Pirith. 2. 3. cf. Welcker p. 540. Hippol. vel: *ἦ πολλάκις ἐννυχίαισι φροντίσι συγγεγένημαι, καὶ διεζήτηχ᾽, ὁπόθεν ποτὲ κτλ.* Hartung I., 55, Schol. Aristoph. Eq. 1290.

His exceptis chorum Alcestidis similem esse Sophoclis judico. Convenit enim optime actioni nec narrat solum sicut in aliis fabulis, sed etiam proponit sententias universas, quas copiose exornat quibusque rem praesentem subjungit.

Medeae chorus, qui constat e mulieribus Corinthiis, prodit Medeam a Jasone summa contumelia affectam deplorans. Immerito, canunt primo stasimo v. 415—443 sexum muliebrem a poetis esse castigatum, viros potius, id quod Jasonis exemplo confirmatur, ad inconstantiam perfidiamque verti. Nec pudorem, pergit mores illo tempore regnantes respiciens, nec jurisjurandi sanctitatem stare, sed ad coelos avolasse. In colloquio sequenti Medeae cum Jasone per chorum poeta significat, utrius a partibus stet justitia v. 570. 599, et per totam fabulam constanter chorus cum Medea facit excepta liberorum caede, quam vehementissime impugnat. Altero stasimo nimii amoris impetum describit, quo optat ne ipse tangatur. Jasonis enim haec est culpa, quod nimio amore agitatus non contentus eo, quem habebat, Medeae amore, alias quoque feminas adibat. Tum chorus deplorat miseram Medeae conditionem, id est imminens exilium Jasonisque perfidiam abominatur. Stasimi tertii v. 819 sqq. duae sunt partes, quarum altera laudes continet

Athenarum Aegei magnanimitate, qua salutem Medeae spoponderat, excitatas. Simul sanctitatem terrae Atticae efferens Medeam a caede quam molitur vult revocare. Non enim, inquit, sperabis illam terram sanctam matrem liberorum caede pollutam esse recepturam. Denique per deos eam obtestatur, ne facinus tam atrox tamque ab humano sensu alienum, quod si vellet quis ne posset quidem, committat. vers. 1070 sqq. iterum audimus poetam personatum philosophantem. — Multas hujusmodi et choro et dialogo inseruit orationes poeta a tragoediae ratione alienas, quae doceant quidem, delectent non item. Praeterea hoc carmen caret stropharum et antistropharum responsione, vel si Hartungum verum perspexisse statuamus, quatuor strophas eandem in formam redactas componentem, ita ut opinari liceat poetam suas manifesto proferentem sententias solita vincula abjecisse. Dum Medea intus facinus perficit, chorus invocat Solis opem, quae precatio quum irrita cadat, praeter Inonem quemquam tale quid ausum esse negat, quo exemplo de atrocissimo facinore Medeae aliquid detrahit. Chori carmina per totam fabulam actioni apta sunt atque accommodata.

Hippolyti chorum efficiunt mulieres Troezeniae, ad quas rumor manaverat, quum in vestibus lavandis erant occupatae, de Phaedrae dominae morte. Displicet quod in parodi initio tantam verborum copiam unde et cur apparuerint profundunt. Non enim chori res cupimus audire sed actorum. Hoc autem non in uno Hippolyto reprehendo, sed in fabulis posterioribus idem saepius videmus a poeta esse factum, qua re de hoc more Euripidis hoc loco longus esse nolo. Atque mulieres quis sit morbus et a quonam deo immissus secum volventes eam partu laborare veri esse simillimum judicant, qua occasione oblata idem se ipsas esse perpessas profitentur v. 164 sqq. Habemus igitur, cujus rei multa mox sequentur exempla, id de quo supra disputavimus, chorum Euripideum actorum prae causis suarum non esse oblitum. Ceterum animadvertas stropham α et antistropham α ita in-

ter se cohaerere, ut ne commati quidem locus sit. Saepius Euripides, id quod nusquam apud Sophoclem invenitur, una continuatione addit stropham strophae. Quid inde colligam infra dicam,

Postquam Phaedra causam morbi aperuit, chorum audimus divinantem novi quid domo esse eventurum. Vs. 57 sqq. Mox quum nutrix, ut magis quae rei conducant sequatur quam quae sint honesta, dominae velit persuadere, ipsa autem mori malit qnam turpe aliquid committere, quum igitur utilia pugnent cum honestis, chorus, ut par est, commendat honesta. Deinde carmen canit de vi amoris, quod praesenti rerum statui egregie convenit; amor enim Phaedrae vulnus injecit. Describit autem exemplisque confirmat ejus summam vim atque potentiam ad deminuendam Phaedrae culpam; nam illo, cui fere nemo potest resistere, qui deos et homines pariter exercet, Phaedram quoque si inferiorem intellexerimus, culpa fere ab omni liberamus.

De stasimo v. 727 sqq. consentio Hartungo I, 411 recte refutanti Monkium. Nam quod hic vituperat in Hippolyto, quod chorus praesentit Phaedrae facinus nec tamen prohibere conatus sit, per chori munus quippe non agentis non licet. Chori autem argumentum est: Utinam essem vel terra reconditus vel in aerem sublatus possem ad ultimos orbis terminos auferri. Describitque, quo mihi alienius videtur, per stropham α et antistropham loca quaedam, ad quae vult deferri. Tum in mentem venit infelicissimum illud navigium, quod Phaedram ad fines Atticos appulit, quod ut semen malorum deprecatur. Postremum deplorat dominam, quae mortem malit subire quam flagitium committere. Carmen excepta illa quamvis venusta tamen longiore descriptione ac praesenti animi trepidationi minus conveniente judico esse aptissimum. Versibus 849. 861. sqq. praeparat mentes spectantium ad calamitatem brevi venturam. v. 1257 sqq. Errare mihi videtur Valckenarius hoc carmine posse supersederi judicans. Equidem nolim carere, quum id contineat, in quo totius fabulae quasi cardo versatur, potentiam Veneris,

cujus testimonia sunt Phaedra et Hippolytus. Versus, quibus chorus concludit fabulam, Boeckhius censet de morte Periclis esse interpretandos, in quo Hartungum habet assentientem. Quod igitur alibi per actores facit, mentionem praesentium temporum, hic tribuit choro, id quod haud scio an nunquam fecerit Sophocles.

Quae de choro Hippolyti disputavi si omnia comprehendo, idem fere puto esse statuendum quod de Medea et Alcestide. Apte enim cohaerent cum rebus, quae aguntur ea quae intercinit chorus. Quamquam quominus libere judicaret, prohibitus est jurejurando obstrictus, ut Phaedrae amorem tegeret. Luculentissimum hoc est exemplum, unde mutatam chori naturam perspiciamus. Sophocles enim etsi semper chorum aliqua necessitate cum actore primarum partium conjunxit, tamen non adeo ei fecit addictum, ut per fas atque nefas quod dicunt dominum sequeretur, immo principale Sophoclei chori est munus, ut actorum facta cum divinis legibus componat. Euripides contra plerisque in fabulis chorum ut familiarem vel amicum adjunxit actori, quem in chori locum Francogallos substituisse scimus. Erat enim deorum reverentia, ad quam chorus Sophocleus omnia iterum iterumque revocat, nulla fere facta, quam ob causam chori natura immutata. Conferas chorum Jonis, qui ita est dominae addictus, ut ne verbo quidem eam a nefario conamine dehortari studeat, immo auxilium offerat. v. 856 votaque fundat deosque precetur, ut ex sententia Creusae velint rem administrare.

Jonis chorus sunt servae Creusae, Delphos profectae, ubi de orbitate sua dei acciperet responsa. Scena repraesentat vestibulum templi Apollinis, quod cum egregiis esset picturis ornatum mulieres rerum, quae inter Jonem et Creusam aguntur, securae ad eas contemplandas se conferunt. Parodus est igitur horum operum descriptio, quam alienum a re esse et inane tantum ornamentum Hartungum miror negasse. I, 481. Quid tandem proficit spectator, non rerum notitiae studiosus sed fabulae compositionis perspiciendae

cupidus. Chorus qui per maximam diverbii inter Jonem et Creusam exorti partem, in spectando templo versatus esse putandus est, sententia tristissima ad scenam redit. v. 455 sqq. Invocat Minervam et Dianam, ut adeant fratrem precibus, ne genus Erechthei prolis inopia interire sinat. Non solum enim summae voluptati esse liberos sed etiam fortissimo domorum praesidio. In epodo deos, quorum antrum illud erat, in quo Creusa ab Apolline erat compressa, rogat, ut infantis ibidem nati curam habeant. v. 678 sqq. Apte praeparat spectantes ad ea quae sequuntur Creusam molestissime esse laturam, quod Xutho futurus sit infans ex alia genitus. Denique magna cum indignatione exsecretur Jonem advenam optatque, ne regnum urbis capiat urbemque polluat. Saepius chorum Jonis videmus de gloria Athenarum nunquam peregrinorum regum dominationi obnoxiarum dicentem; Athenas enim celebrare, si Otf. Muellerus et G. Hermannus recte judicarunt, in mente habuit poeta quum Jonem scriberet. Quod alibi videmus, epodum ab antecedente stropha non ita esse distinctum, ut aliam inciperet rem, hic quoque deprehendimus. Quo loco quum Canterus, Barnesius, Musgravius epodum incipiant a. v. 712 „commode si novi carminis initium ibi ponas, unde novus sententiarum ordo procedit, sed adversante metrorum responsione" (Matthiaeus), ego nihil mutandum censeo si quidem non semel tantum carmina ita disposuit poeta.

v. 1048 sqq. Chorus, qui socius est caedis consilii, quam Creusa molitur et ne verbo quidem eam est dehortatus, Triviam invocat, ut prospere Creusae consilium succedat. Dominam enim laqueo vitam finire malle quam advenam in paternum regnum recipere. In stropha β ipsum Bacchum esse indignaturum dicit, si ad sacra sua nocturna Jonem accedentem videat. Denique, quod saepius audivimus, negat jure mulieres ob effrenatam libidinem castigari, quoniam e Xuthi exemplo idem liceat de viris statuere.

v. 1229 sqq. Chorus, qui conscium se sentit ejusdem, quod Creusa frustra erat conata, facinoris, sibi quoque timet

Non igitur vacat culpa, id quod decet chorum, neque eam habet animi castitatem, simplicitatem, integritatem, qua est praeditus chorus Sophocleus quamque merito postulamus choro esse tribuendam.

Heraclidarum chorum aptissimum esse arbitror. Ac statim non uni est addictus sed quae divinitus sunt sancita fortiter defendit. Defendit igitur supplicum jura contra Coprei insolentiam, defendit praeconum sanctitatem, quam Demophon terrae princeps violaturus est v. 271. v. 353 sqq. Hoc stasimo quam initio declaraverat mentem reservat. Neque Atheniensibus neque iis, qui deorum leges pie colunt, dignum esse prodere, si quis supplici manu auxilium imploraverit, quodsi videatur Argivis esse pugnandum, etsi pacis amantissimis, non tamen cum imbellibus neque ignavis esse eos conflicturos.

v. 607 sqq. Hoc stasimum Sophoclei aliquid spirat. Tanta est enim pietate erga deos tantaque fide, ut Sophoclem ipsum videar audire. Continet autem stropha generalem hanc sententiam: Neminem esse sine deorum voluntate beatum praedicandum, res humanas fluere ac dilabi, qui summa floreat felicitate, eum postridie ad infimam sortem descendisse, nihil esse firmum ac stabile. In antistropha transit ad sortem Macariae hisce cum verbis comparandum, quam laudibus effert ob magnanimitatem egregiamque quam praestat virtutem mortis ipsius pretio expetendam neque interituram ejus laudem praedicit mortem tam illustrem subeuntis.

v. 743. sqq. Certissimam victoriae spem injicit mentibus hoc carmen, siquidem a parte bonorum stare salutem statuimus. Preces enim faciunt senes, ne secus cadat urbi proelium jam commissum. Victoriam enim urbi utpote deos pie colenti Jovemque pro summo praesidio habenti deberi.

v. 887 sqq. Victoria reportata laeto carmine exultat chorus, deorum autem propter castam reverentiam rem tam prospere evenisse hostiumque insolentiam, a qua per vitam liberam optat servare mentem, domitam esse, iterum confirmat. Chorus Heraclidarum ut aptissimus est rebus, quae

aguntur, ita egregie convenit imagini illi Attici ingenii, in quo exornando summisque efferendo laudibus poetae Attici sunt diligentissimi. Est enim exemplar Atticae illius humanitatis, qua prae ceteris gentibus Graecis insignes erant Athenienses, quam imprimis erga illos praestabant, qui patria expulsi supplices veniebant, quos tantum abest ut repulerint, ut vel manu non dubitarint ab injuriis defendere. Fabularum chori, de quibus hucusque egimus, quamquam non ex omni parte laudandi, tamen non admodum videbantur a more Sophocleo aberrasse. Sunt enim fabulae antiquissimae. Jam ad eas transeo, in quibus etsi chorus non prorsus est ab actione sejunctus, vincula, quibus cum ea conjungatur, remissiora esse facta facile est perspectu. Temporum ordine proxima sequitur Hecuba. Parodus v. 100 sqq., quam nuntii magis quam chori esse recte dicas, vere esse eventurum, quod Hecuba in somnis divinaverat, nuntiat, mortem Polyxenae imminentem. De qua quid inter principes Argivorum convenerit, accuratissime exponit. Denique qui auctor fuerit consilii a ducibus capti, eundem esse statim affuturum, ut filium ex matris amplexibus abripiat.

v. 444. sqq. Hoc stasimum recte mihi videtur reprehendere G. Hermannus praef. XVI. Quod quaeque sorte sit acceptura servitutis domicilium, anquirit chorus, id quod similem in modum fecit in Troadum parodo.

v. 629 sqq. Chorus de suis miseriis initium faciens ad fontem malorum recurrit, ad Paridem. Quod primis temporibus retinuerat Euripides, ut sententiis universis exornaret carmina, jam videtur deseruisse. Causas enim malorum, quae videmus, non ex ipsius animi humani natura petit, id quod plerumque fecit Sophocles, sed malorum initia usque ad antiquissima tempora persequitur. Praeterea animadverti velim, sententiam a v. 644 profectam non antistrophae terminis contineri, sed primum quoque epodi versum amplecti.

v. 905 sqq. Chorus quum debeat aliquid ad Polymestorem pertinens canere, copiose narrat Trojae expugnationem. Venustissime quidem, sed parum rebus praesentibus apte,

quibusnam in officiis occupatum ipsum deprehenderint hostes describit. Hartungus (I, 524.) debuisse se chorum totum ad Hecubam applicare negat, immo communem populi Trojani sortem proponere. Euripidem enim in hac tragoedia idem fecisse, quod in Phoenissis, ut publica mala et fata civitatis ostenderet cum regum casibus conjuncta et populi partes choro sustinendas tribueret, cujus ore quasi universum civium coetum loquentem audiremus. Quod etsi vere statuam Euripidem studuisse, dubito rectene fecerit. Etenim leges et praecepta artis, quibus unum admiratione, dolore, metu, misericordia prosequi jubemur, nonne neglexit, qui in Hecuba duas in summa miseria versantes induxerit personas duasque praebuerit spectatori lugendas calamitates, alteram Hecubae, alteram chori, quae ita se excipiunt, ut quum alterius querelis paene languidi quaeramus, quo reficiamur, altera recentes effundens lamentationes animos excruciet. Chorus Hecubae etsi ea, quae trimetris proloquitur, satis sunt convenientia, eo potissimum est vituperandus, quod suas res immiscet Hecubae miseriis, quae unae debebant proponi spectatoribus. Nec facere possum, quin judicem carmina esse a rebus, quae singulis locis in discrimine versantur, alieniora. Perspicio quidem artem Euripidis, qua reginae calamitati adjunxerit totius urbis eversionem chori carminibus descriptam, quorum illud, quod legitur v. 629—656, causas belli inter Graecos et Trojanos exorti exponit, alterum ad ipsam urbis expugnationem ascendit superiusque illud quasi continuat; tamen recte munere fungi chorum nego. Quam igitur bene inter se cohaereant carmina quamque apte alterum alterum excipiat, ut totam quasi inter se efficiant urbis expugnatae causarumque expugnationis descriptionem, tamen id quod chorum decet, ut, quae proloquitur, scenarum habitui sint acommodata, desidero. Itaque Gruppio quamvis acerbius judicanti assentior (Ariadne p. 376).

Herculis furentis chorus sunt senes decrepiti, qui studium declaraturi prodeunt erga Herculis filios magno in discrimine versantes. Molitur enim Lycus tyrannus per vim

tem quanta unde repetenda exponit. Quod etsi ex more Euripidis est, unius fata cum totius generis infausta avi chori carminibus saepius conjungentis, tamen dubito praesentine conveniat rerum conditioni.

V. 384—450. Sciscitatur chorus, quinam sint advenae, qua ex urbe Graeciae profecti, qua re moti periculosum ad terram tam asperam tamque horribilem peregrinis iter inierint. Hanc quaestionem rebus, quae aguntur sane accommodatissimam tanto verborum ambitu exornat atque amplificat poeta, ut acerbius quidem, sed recte judicet Hermannus. (Praef. XIII.)

V. 1057—1118. Hac quoque in fabula non actorum solum nos miseret, sed etiam chori sua fata saepius deplorantis ut v. 562. 563. Neque aliud quid hoc carmine continetur, nisi patriae desiderium splendidissime ac pulcherrime descriptum. Sed, id quod iterum iterumque vitupero, chori quoque nos moveri fatis voluit poeta promittitque per Athenam laetum in patriam reditum non solum Iphigeniae cum fratre sed etiam mulieribus captivis.

V. 1200 sqq. Apollinis quidem, qui auctor est laetae rerum conversionis, laudes praedicare, mihi non videtur alienum; illud autem miror, quum de ejus responsis quam sint vera dici quaedam exspectemus, cur historiam de oraculi Delphici origine de ejusque fatis audiamus. Nam quod Hartungus dicit, propter regem in vicinitate versantem chorum non posse nisi tecte dicere, non ita accurate accedit ad veri similitudinem ars; cui sufficit regem absentem esse. Ceterum chorum non ita magna fiducia Apollini esse deditum, testantur v. 1385. 1386.

De choro Supplicum multa sunt monenda. Ac primum chori personarum non eadem est ratio, quae in aliis. Est enim bipartitus inter septem matres totidemque famulas cf. v. 964., quare nisi est divisus, ita ut dichorei alternis verbis sese excipiant, alteram partem verba fecisse existimandum est, alteram tacuisse. Totius enim fabulae quasi cardo versatur in causa matrum Argivarum, Athe-

nas profectarum, ut a Thesei Atheniensiumque humanitate quae negaverat Thebanorum atrocitas cadavera filiorum caesorum peterent sepelienda. Nam etsi Adrastum his adjunxit poeta, qui pro iis quasi causam ageret, scilicet ne chori partes nimium efferret, tamen matrum causa utrum a Theseo repudietur an defendatur, nititur fabulae structura. Quod igitur in fabularum ordine post Heraclidas scriptarum saepissime invenimus, chorum suam quoque habere causam, id hac fabula ita videmus institutum, ut paene actoris partes suscipiat chorus.

Relicta enim v. 275 orchestra, qui est locus quum usu et consuetudine choro tributus tum ejus naturae aptissimus, in pulpitum escendit, quae est actorum statio. Vel hoc declaratur deserere eum chori officia, qualem effinxerit Sophocles qualemque effingendum esse statuamus. Et hunc locum arbitror aptissimum, quo quid Aristoteles de chori vi ac natura senserit atque judicarit exponam. Atque notissimus est in libro de Arte Poetica locus c. 18. *καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ παρ' Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ*, quem interpretatur Horatius A. P. 193 sq., in quo nisi alii loci essent, quorum ope eum possemus interpretari, facile possumus, id quod revera video esse factum, a recto sensu aberrare. Est enim locus in Probl. VI, 19: *ἔστι γὰρ ὁ χορὸς κηδευτὴς ἄπρακτος: εὔνοιαν γὰρ μόνον παρέχεται οἷς πάρεστι*, cujus loci sententia, si recte intelligo, haec est, ut chorus neque ipse agat sed agentium quasi comes sit neque suas res curare debeat, sed eorum qui agant. His totum se tradere eosque benevolentia (*εὐνοίᾳ* pars pro toto) prosequi i. e. afflictos consolari atque erigere, in peccandum propensos monere atque corrigere et quae sunt similia, hoc esse chori, Aristoteles mihi videtur recte judicasse. Quae optime cum Sophoclis arte congruere certe scio, in Euripidis fabulas num haec cadant, ad eorum, qui haec legent, provoco judicia His expositis vix est, quod singula pertractem. Suam enim

causam dicentem per totam fabulam chorum audimus. Inde sequitur, ut modum trimetrorum choro aptum transeat v. 262 sqq. Choro enim ut lyricas partes tenenti non convenit longior trimetrorum numerus; trimetri enim sunt actoris. Denique per chorum v. 693 sqq. commendat civibus foedus cum Argivis feriendum.

Andromachae chorus, mulieres Phthiades misericordia motae ad Andromacham accedentes apte monent parodo, ne opponere sese velit potentioribus, sed cognoscat, in qua versetur conditione sciatque cedere necessitati. Sequitur altercatio inter Hermionam et Andromacham, qua peracta chorus longiore carmine unde sit repetenda tristis Andromachae fortuna persequitur. Hanc enim fuisse mentem poetae hoc carmen inserentis ex ipsis ejus verbis colligo v. 303 sqq. neque video, qua re motus Hartungus alias causas conjecerit. Duas enim, ait, (II., 113) causas video fuisse, quarum altera est quod illustri aliquo exemplo poeta, quam perniciosae essent tum feminarum aemulationes tum virorum libidines, ostendere voluit; altera, quod iis, quae hoc dramate continentur, ea, quae apud Trojam gesta sunt quodammodo iterantur. — Est autem carmen ex eo genere, quae ipsa rerum conditione neglecta quae antecedunt epicorum more narrant et ab ovo quasi Ledae, ut ajunt, exordium faciunt.

v. 565 sqq. Chorum aptissimum esse judico. Ipsam enim causam funestae, qua premitur Andromacha, sortis tangit, aemulationem, quae quanta gignat mala apte collectis exemplis confirmat. Fortiter autem quamvis Hermionae ut dominae addictus mortem Andromachae ut improbum nefariumque facinus condemnat. In fine carminis praedicit non bene esse eventurum hunc conatum, itaque animos praeparat ad rerum conversionem.

v. 767 sqq. Hoc carmen perperam scholiastam, quem sequitur Hartungus II., 119 ad Andromacham esse referendum putasse cum Pflugkio contendo. Hic enim est sententiarum ordo: Magnum quidem est et vere exoptandum bonum generis nobilitas (stropha), multum tamen praeferenda est

vita, ubi justitiam tuemur. Illud mihi videtur optimum, si quis opibus affluens modum et justitiam observet (antistropha). Apertum igitur est chorum Hermionam significare, in quem enim haec dicta magis cadunt? Peleus autem duabus his rebus excellit. Est enim potentia praeditus nec laedere audet justitiam, id quod auxilio Andromachae dato egregie praestitit. Quid igitur mirum, si epodus ad meritis eum laudibus efferendum transit?

v. 991 sqq. De hoc carmine dubito pro certo aliquid statuere. Id quidem mihi persuasum est, si quis Hermionam viderit tanta scelera molientem neque meritas dantem poenas, sed marito deserto novum cum Oreste ineuntem matrimonium, eum aliud quid esse sensurum quam quod haec chori verba significant. Reputat enim secum quanta calamitatum copia manaverit ex quo tempore Phoebus et Neptunus Trojae moenia exaedificarint. Ad Apollinem omnia revocat, eo enim auctore eversam esse Trojam, eodem flebilia fata ad Graecorum praestantissimos quosque redundasse, ut Agammnonis caedem secuta sit matris ab ipso filio incitante deo perpetrata, denique totum Graeciam caterva quasi malorum esse vexatam. Inest in carmine versus, quo diversam Sophoclis rationem apertissime deprehendimus. Dubitanter enim dicit chorus v. 1013 de matris caede dei consilio instituta. Nam Sophocles Orestem jussa dei agentem ne verbo quidem querentem fecit ipso facinore perfecto. Omnino de choro Andromachae si quid judicare volumus, perspiciamus necesse est, in cujusnam fato rerum quasi cardo versetur. In quo Hartungum recte dicere totam Pelidarum stirpem in discrimine versari, non possum in animum inducere ut credam. Quid enim? absentis Neoptolemi possumusne rem agi statuere? Quem non videmus, cujus ne vocem quidem audimus. Minime vero; sed ad Andromachae fata totum refero, fabulamque recte video procedere usque ad Orestis introitum. Nolo quae de exitu fabulae sentiam proloqui, ne, quod me minime decet, castigare videar summum poetam, id autem de choro meo jure possum contendere, debuisse chori carmina pertinere ad Andromachae fata.

De Troadum choro idem dicendum, quod de Hecuba, Supplicibus aliisque nonnullis fabulis. In suis ipsius miseriis occupatus non potest de iis, quae spectatoris mentem morantur, cogitare. Prodeuntes cum Hecubae lamentationibus miscent suas et cum Graeci sunt naves soluturi, anxie quaerunt, quodnam sibi in hostium terra futurum sit domicilium et quanam usurae sint fortuna. Repetit chorus qui legitur v. 1053 sqq. multos hujus carminis locos. Deinde Hecubae v. 449 sqq. huic loco sunt simillimi, quam fabulam ita poetae esse observatam apparet, ut versuum magnus numerus levissimis tantum rebus discrepantium possit afferri.

Abeunte Cassandra chorus carmen de Trojae expugnatione canit illi simile, quod est in Hecuba, quod qui rei possit convenire equidem non intelligo. Sequente stasimo in expugnatione Trojae olim per Telamonem, Herculis socium facta moratur, aliam igitur expugnationem adjungit illi quam exposuerat stasimo antecedente. Haec ansam praebent diis irascendi, qui quum ipsi tantum voluptatis ex amore mulierum Trojanarum puerorumque ejusdem gentis formosissimorum perceperint hujus rei obliti noluerint grata gratis referre. Digna sunt, quae memorentur, chori de Jovis culpa verba v. 841 sqq. Hujus stasimi non possum, quin eandem ac superioris esse rationem confirmem; rerum enim, quas videmus ante oculos, nihil attingit.

Tertio stasimo saepius tractatum argumentum de Trojae excidio iterum retractat chorus multisque locis quae initio fabulae erat conquesta repetit. Sub finem fabulae in scena sane splendidissima et ad movendos spectatorum animos imprimis facta communem cum Hecuba Trojae, quam flagrantem corruentemque videt, naeniam canit illamque valere jubet. Tota fabula quasi naenia est, quasi cantus lugubris in excidium Trojae cantatus. In hoc igitur versantur chori carmina, quorum argumentum fere idem est. Sunt enim Trojae fata neque ea solum, ex quibus praesens calamitas manasse putanda est, sed etiam quae antecedunt, quae uberius narrantur. Quae fabula quamquam dispar est a reliquis et ab imagine quadam perfectae fabulae, quam mente

infixam artisque praeceptis conformatam tenemus, id imprimis spectare videtur, ut Hecubae, reginae quondam et potentia et liberorum multitudine florentis, nunc servae liberis orbatae omnique regio cultu exutae humi prostratae nobis repraesentet miseriam. Quodsi hoc verum est, chorus huic se tradere debebat, quod tantum abest ut faciat ut totus in sua sit et urbis fortuna, res igitur praeteritas curet, negligat praesentes. Inde sequitur, ut consolandi munere, quod est chori neglecto vim augeat tristitiae modumque lamentandi. Valde igitur miror de fabula, quae tam est referta ejulationibus lamentationibusque, ut frangat quasi et exanimet legentes, Hartungum II., 277 ita judicasse, quasi videremus obrutos illos dolore emergentes ex undis calamitatis animumque liberantes, nam ad luctum, unde profecta omnia, redeunt.

Electrae carmen, quod est v. 430 sqq. non video quomodo possit ut loco conveniens defendi. Nam sit, quod vult Hartungus, sit sane Achilles loco omnium positus, ut intelligamus, qualis fuerit horum dux Agamemno qualeque scelus perpetraverit Clytaemnestra, quid tandem, obsecro, scuti Achillei sibi vult descriptio, in qua maxima versatur pars carminis. Immo si quis libera mente haec leget, eum certo scio summam carminis partem alienam esse ab ipsa fabula esse judicaturum. Est enim ex eo genere carminum, quae Euripides in novissimis fabulis videtur effinxisse, in quibus, ut tempus falleret inter duos actus intercedens, carmina inseruit epicorum more profluentia lepidissime quidem exornata sed ab ipsa rerum compositione aliena. Velut omnium Phoenissarum carminum idem fere argumentum est: Thebarum narrant primordia, Cadmi adventum et quae postea facta sunt, quae quin aliquo modo cum fabula conjuncta sint vix est qui dubitet. At quis est qui hoc idem esse atque cum variis fabularum mutationibus concinere existimet. Ceterum in hoc Electrae carmine animadvertas scuti Achillei descriptionem non circumscriptam esse antistrophae β terminis, sed ultra procedentem duos quoque epodi versus am-

plecti. Aptius enim faciebat Euripides et ad Sophoclis similitudinem propius accedebat, si scuti descriptione cum antistrophae fine conclusa ineunte epodo ad novum argumentum transibat. Quod quum aliter fecerit, alterum habet exemplum, quo in carminum descriptione nihil momenti inesse nisi quod metrorum ratio postulat videmus. (v. 704 sqq.) Carmen, in quo poetam de fabulis antiquitus traditis dubitantem audimus, malorum facinorumque seriem continuam quibus laborabat Atridarum domus, enumerat inde ab aureo ariete. Video chorum non esse graviter commotum quamquam in summo versantur discrimine et Orestis et Electrae fata; miror enim in re tam flagranti eum posse ad res praeteritas longe enarrandas se convertere. Contra aptissimnm est, quod ante caedem Clytaemnestrae a liberis perficiendam canit.

Transeamus ad Helenam. Notum est, ut supra dixi, Francogallos in chori locum substituisse amicam quandam dominae comitem ejusque consiliorum factorumque participem. Ad hujus amicae similitudinem mihi videtur chorus in priore parte fabulae esse conformatus. Non enim pertinet ad fabulam sed ad Helenae personam, cui totus est addictus. Hanc consolando erigit, consilio adjuvat, cum hac scena relicta Theonoen adit de Menelao consulturus. Non est igitur κηδευτὴς ἄπρακτος nec solum benevolentia prosequitur, sed ipso facto adjuvat Helenam.

v. 1107 sqq. Effusis de Helenae misera conditione querelis adjungit fata Trojae per tot aliarum fabularum carmina decantata. Quae sequuntur poetae sunt personati esse deos neque affirmantis neque negantis. Hoc carmine recte judicat Hartungus Euripidem in Homerum invehi.

v. 1300 sqq. Hoc carmen simillimum est iis, quae Aristoteles ἐμβόλιμα vocat, quippe quae ad rem nihil pertinentia actuum tantum intervalla expleant. Vel si quam Hermannus exercet crisin probaveris Hartungique rationem amplectaris, quid quaeso ad rem pertinet Bacchi sacrorum longa descriptio; ubi tandem est aliqua significatio, qua He-

lenam peccasse neglecto horum sacrorum cultu docemur? Hanc autem rerum sacrarum neglectionem chorus vult pro causa haberi, cur Helena miseriis sit vexata. Inopinata certe haec est causa, cf. O. Muelleri hist. lit. Gr. II., 152.

Carmen, quod continetur v. 1450 sqq. est amoenissimum. Versus 1487 sqq. in mentem mihi revocabant illud Schilleri nostri: „Eilende Wolken, Segler der Lüfte 2c." Omnino nobilissimus est Euripides arte describendi amoenissimisque rebus et imaginibus carmina exornandi. In quo ita excellit, ut saepe sonitum verborum rebus quas describit accommodet, ita ut res ipsas quasi videamur audire. Quod etsi Aristophanes suo jure — non enim convenit priorum temporum arti — reprehendit (Ran. 1314), nobis tamen licet admirari. cf. Iph. Taur. 1059. Electr. 433.

Phoenissarum chorus a more Sophoclis plurimarumque Euripidis fabularum est diversissimus. Quum enim soleant poetae chorum ad ejus actoris, qui primarias partes agit, res accommodare, ita ut regibus civium catervam, virginibus famulas vel amicas, quibuscum iis antea erat familiaritas, tribuant, hic videmus chorum extrinsecus allatum nullo necessitudinis vinculo cum iis, qui fabulam agunt, conjunctum. Fortuito enim prodit. Delphos profecturus Thebas quum venit urbemque vidit obsessam, ibi commoratur. Quod quam male sit a poeta factum nec scholiastam neque interpretes fefellit varias excusandi poetae rationes ineuntes. Atque ille quidem hanc ob causam censet chorum mulierum peregrinarum esse illatum, ut libere, id quod semper chorum praestare judicat, justitiae partes posset sustinere; Thebanas enim mulieres Eteoclis imperio subditas non potuisse ea, qua par sit chori muneri, ingenuitate regis facta vituperare eumque ab intemperantia revocare. Nego autem apud Euripidem chorum legum divinarum justitiaeque tutelam sibi sumsisse, satisque exemplis mihi videor confirmasse; nego, etiam si esset revera justi custos, poetam facere non potuisse, quin peregrinum arcesseret chorum. Sophoclis certe chorum video semper necessitatis aliqua societate cum pro-

tagonista conjunctum, nec tamen quae intemperanter vel injuste sunt dicta vel facta coërcere et exprobrare desinentem. Deinde Hartungus similiter ac scholiasta censet peregrinum induxisse chorum Euripidem, ut posset liberiore animo de rebus cogitare, praesentia componere praeteritis, caussas demonstrare, exitus prospicere, alia ejusmodi cf. II, 447. Cui ausus sim opponere hoc non esse ex more Euripidis, quem alibi videmus chorum effinxisse totum in rebus quasi haerentem. Equidem tres habeo causas, cur potuerit chorum peregrinum inducere: aut voluit novitate rei habitusque virginum Phoenissarum delectare, aut noluit eundem quem Aeschylus in Sept. c. Th. inducere, id quod non omni veritatis specie caret, siquidem saepius et rebus fabularumque compositione et verbis corrigere studuit Aeschylum, aut denique, quod mihi videtur veri simillimum, ea quae chorum voluit proloquentem facere, non poterant a mulieribus Thebanis pronuntiari. Etenim fere omnia fabulae stasima epicorum more sunt conformata. Narrant autem antiquitates Thebanas, quod quam non conveniat mulieribus Thebanis, urbis in summo periculo et ipsis trepidantibus, satis apparet. Necesse igitur erat peregrinas arcessere, quibus eam animi tranquillitatem quae est narrantis tribuere naturae erat conveniens. Sed quodcunque id est, quo ductus peregrinas mulieres fecerit prodeuntes, hoc est certum, Euripidem a solito poetarum more aberrasse, quo aliqua tamen chori cum protagonista intercessit conjunctio. Inde sequitur, ut chorus fortuito prodiens non possit apte cum fabula cohaerere. Atque Euripidem hoc sensisse ex parodo certissime licet intelligere, ubi chorus se quasi excusat longamque de adventus causa deque patria sua instituit sermonem, quam esse Thebis cognatam propterea, opinor, affert, ne miremur chorum peregrinum de alienis rebus tamquam de suis dolentem. Sed hic locus aptus videtur, quo de more quodam Euripidis plerisque fabulis conspicuo paucis exponam. Decedit enim a more Sophoclis choro prodeunti nulla de origine sua, de adventus causa verba tribuentis, siquidem haec

ex habitu, verbis, rerum compositione, usu tragoediae satis erant aperta. Euripidis autem chorus in ultimis maxime fabulis de se nonnulla quasi praefatur, ut actores quoque in mediis fabulis; cf. Hel. 392. sqq. Qui chori prologus quum in superioribus fabulis non inveniatur, ea de causa videtur additus, ut certiores fiant spectatores, eum aptius quam possit videri, cum fabula cohaerere. Quod pro testimonio hujus rei affero, quod ipsum poetam sensisse dico, quam tenue esset vinculum in ultimis imprimis fabulis quo chorus et actores cohaererent.

Parodus Phoenissarum tota fere chori de adventu excusationibus consumpta quam paucissimis id quod desideratur commemorat v. 250 sqq., qui versus aptissime spectatorum mentes ad futuras calamitates praeparant et Polynicem sine ullo jure urbem obsessam tenere negant. Repetit autem chorus quae de se jam parodo exposuerat v. 280—287 trimetris utens.

v. 638 sqq. Melius quidem conveniat praecedente fratrum altereatione de Polynicis et Eteoclis diro certamine canere, sed quum non solum horum sed totius urbis fata in summo discrimine versentur, non ita absonum est, Thebarum avos et proavos ut auxilio veniant invocare. Illud autem jure mireris, quod tam copiose narret Cadmi adventum et quae sunt subsecuta mirabilia, solo epodo respiciat res praesentes. Idem videtur reprehendendum in sequente stasimo v. 784 sqq., quod initio quidem aptissimum deinde ad fabulas Thebanas aberrat.

De carmine quod continetur v. 1019 sqq. non ex omni parte assentior scholiastae et qui eum sequuntur Valckenario, Klotzio. E Sphingis enim aenigmate, quod acutissime perspexit Hartungus, omnia quae deinceps sequuntur mala Thebanorum manant. Illud autem vitupero, quod omnia Phoenissarum carmina idem fere argumentum tractant et paucis tantum versibus epodi plerumque rei praesenti sese accommodant. Voluit poeta, quod unum repraesentatum videmus malum, iram fratrum non ut singulare quiddam sub oculos

ponere, sed cum tota serie malorum inde a Cadmi adventu nunquam intermissorum conjungere. Quod ut statuam etiam hac re moveor, quod stasima etsi idem tractant argumentum, tamen non sunt promiscue et temere interposita, sed temporum ratione alterum excipit alterum. Primum enim stasimum Cadmi res enarrat, alterum in ejus posteris, quos draconum tulerunt dentes, potissimum versatur, tertium Sphingis et Oedipi fata deplorat, quae fratrum discordiam ipsa hac fabula repraesentatam proxime antecedunt ejusque sunt causae.

Hunc judico locum aptissimum, quo illa ab Hartungo ingeniosissime excogitata commemorem, Euripidem in pluribus fabulis non unius tantum fata effinxisse, sed totius populi, cujus est, causam ita adjunxisse, ut in populorum discriminibus multae ejus fabulae versentur. Hoc autem per chorum maxime effecisse. Quod qui cadat in Phoenissas non intelligo; nam si poetae consilium fuisse statuerimus Thebanorum res effingere, debuit sane chorum Thebanum inducere, qui suam ipse diceret causam. Alia res est in ceteris fabulis. In quibus si verum est quod vult Hartungus, non laudi vertendum videtur Euripidi. Hac enim conditione puto totius populi fata nobis posse repraesentari, si quem unum totius quasi partes sustinentem videmus. Quid autem? Euripides nonne divisit rem spectatoribus deplorandam ita, ut nescii, utrum majore misericordia prosequamur, dolore inter duos quasi fluctuemus? Non enim video, si Hecubae, si Troadum considero rationem, non posse infringi atque tolli aliquid misericordiae, qua Hecubae calamitas nos afficit, si eadem fere deplorantem videmus chorum. Quem enim ab omnibus destitutum solum summa mala subeuntem videmus, ut Sophoclis Antigonam, ei quidquid est in nobis misericordiae totum tribuimus, quem contra graviore quidem, tamen eum aliis communi miseria pressum videmus, eum etsi majore parte, at parte tantum misericordiae amplectimur. Videntur igitur, si quid video, quae Hartungus summae laudi tribuit Euripidi, ea infrigere et debilitare quem excitare debet poeta in mentibus audientium affectum.

Jam de choro Euripideo, quem iniquius vituperat, scholiasta Aristophanis ad Ach. 443: καὶ διὰ τούτων τὸν Εὐριπίδην διασύρει. Οὗτος γὰρ εἰςάγει τοὺς χορεὺς οὐ τὰ ἀκόλουθα φθεγγομένους τῇ ὑποθέσει, ἀλλ' ἱστορίας τινὰς ἀπαγγέλλοντας, ὡς ἐν ταῖς Φοινίσσαις, οὔτε ἐμπαθῶς ἀντιλαμβανομένους τῶν ἀδικηθέντων, ἀλλὰ μεταξὺ ἀντιπίπτοντας; non enim historias quaslibet narrat, saepius monui, eum non ad res contemplandas et ad leges divinas colendas mentes excitare. sed initia malorum, quae praesentia videmus, inde a primordiis epico fere carmine repetere. Quae carmina etsi inter se bene cohaerent et totam quasi molem malorum, quorum ultimum propositum videmus, comprehendunt, tamen fabulae quasi ad habitum singulis partibus diversum minus sunt accommodata.

Orestis duo stasima v. 306 sqq, v. 795 sqq, etsi non sunt a re aliena, tamen in altero non abest mos ille Euripideus, quem in ultimis maxime fabulis secutus est, quo praesens malum cum continua malorum superiorum serie conjunxit v. 795 sqq. Fatigat autem mentes spectantium iterum iterumque quae omnibus erant notissima repetitis. Ter enim idem argumentum retractavit vario quidem colore distinctum variisque modis exornatum. Nam prologus diram necessitatem inde ab aureo ariete lacerantem domum Atridarum longius enarrat; idem facit chori stasimum v. 795 sqq. idem denique Electra in monodia v. 976 sqq. et chorus v. 1542 sqq. Ceterum hoc carmine quid ipse poeta senserit de matricidio Orestis effatur. Jam supra vituperaverat chorus v. 157. 158 et 329 sqq. Apollinem utpote consilii necandae matris auctorem, aliter ac Sophocles rem instituit; qui deos non posse prava jubere et ipse sensit et demonstrare voluit.

De Iphigeniae Aulidensis choro idem dicendum, quod de choro Phoenissarum. Fortuito enim accedunt exercitum Aulide morantem spectaturae mulieres Chalcidenses, quarum nulla est cum rebus quae aguntur personisque qui agunt necessitas v. 169 sqq. Ἀχαιῶν στρατιὰν ὡς καὶ

ἴδοιμ' ἄν. Atque parodum, si tota est poetae, Euripidis, nego rebus convenire. Exordium enim facit a causa belli, quam alte repetit ex Paridis judicio, tum transit ad castrorum, navium, ducum Graecorum descriptionem, quae verborum quidem aliquo ornatu vestita simillima tamen est Homeri catalogo. Quod autem ab Homero carminisque epici ratione abhorrere summi viri judicarunt, idne tragoediae convenire putandum est? Fac autem esse verum, quod Hermannus mihi quidem non satis persuasit, partem parodi inde a v. 225 subditiciam esse, — ita enim incipit carmen, ut praestantissimos quosque Graecorum commemorari expectemus — mea tamen persto sententia. Nam etsi choro quidem novo spectaculo obstupefacto bene conveniunt quae videt verbis celebrare, tragoediae non est accommodatum. Scenam enim ob oculos videmus positam, non erat igitur cur eam longe describeret. Sed, ut dixi, ex chori est ratione haec verba facere, omnis igitur reprehensio eo redit, quod chorus fortuito prodit atque non potest ignarus rerum, quae hac fabula continentur, ad ipsam rem pertinentia canere. Debebat enim exercitum summa belli cupidine plenum summoque cum impetu ab Agamemnone flagitantem depingere, ut Calchantis responsis cedens faustam praeberet navigationem. Hoc enim si fecisset, mentem Agamemnonis inter gloriae cupiditatem et patris officia agitatam bene perspiceremus causasque cognosceremus sequentium.

v. 543 sqq. Hoc carmen praestantissimum est vereque Sophocle dignum. Optat enim chorus ne nimius eum opprimat amor, quem nisi modus coerceat quanta secum ferat mala, illustrari exemplo Paridis. Inde enim, ut supra dixit, funestum hoc bellum Graeciae exstitisse. Carmen etsi venustissimum est et mollissimum, tamen scenam antecedentem nihil respicit, quae patrem necessitate, ut sibi videtur, coactum, ut filiam immolaret, repraesentans largam habet materiam apti cantici. Nihilominus neglecta hac causarum conflictione, quibus Agamemno divellitur et distrahitur, et iis quae fabulae cursum exitumque promovent, semper fere in

bello Trojano ejusque causis moratur. Idem facit in stasimo sequente, quod qui sit naturae convenienter factum non intelligo. Chorus enim, qui est particeps consilii Agamemnonis, qui audit ducem, quod molitur de filia celantem uxorem eundemque speciem prae se ferentem videt filiae matrimonium paraturi, ne verbo quidem haec tangit, sed tranquilla mente persequitur quam inchoaverat belli Trojani narrationem. Ceterum dubitanter de Ledae cum Jove in cygni formam converso coitu audimus loquentem poetam. v. 784 sqq.

De choro Iphigeniae Aulidensis ex Philologi parte altera p. 508 video Firnhaberum scripsisse, cujus librum quum ipsum non potuerim inspicere in iis mihi est acquiescendum, quae Hartungus l. l. affert. Laudat enim Firnhaberum, quod acute invenerit, quam bene carmina Iphigeniae Aulidensis inter se cohaereant, ita ut alterum narrationem, quam non ad finem perduxit, alteri tradat perficiendam. Causas enim belli Trojani superioribus stasimis expositas excipit ipsius expugnationis imago. Quae rectissime esse disputata non mihi in mentem venit negare, illud autem nego, qua inter se cohareant necessitate, eadem cum varia fabulae conditione contineri.

v. 1025 sqq. Tandem chorus ad misera Iphigeniae fata transit, ad nuptias Achilleas irritas factas, iisque comparat laeta illa deorum convivia festo illo die instituta, quo Peleus Thetidem in matrimonium duxit.

Quod Schillerus de choro Iphigeniae Aulidensis in iis quae annotat ad fabulae interpretationem judicat, verissimum mihi videtur. Maxima enim fabulae parte intercinit talia qualia etsi ab argumento dramatis non aliena tamen non pertinent ad causas inter se certantes et ad ea quae imprimis movent animos spectatorum. Sub finem demum fabulae rerum conditioni est aptior.

Reliquae sunt Bacchae, quas post mortem poetae filium in scenam induxisse constat. Quae quum nonnullis rebus a ceteris fabulis sunt diversissimae, tum hoc differunt, quod chorus, quem in fabulis sub vitae finem scriptis

Euripides ab actione paullum sejunxit, arcte cohaeret cum rebus, quae aguntur. Eo solum aliis est similis, quod poetam personatum saepe audimus, quid ipse sentiat de diis proloquentem. Mutasse autem Euripidem quam antea habuerat de rebus divinis opinionem, abjectisque quibus antea agitabatur dubitationibus ad communem opinionem antiquitus traditam redisse satis est apertum. Saepius enim in Bacchis non esse de diis quaerendum sed casta sinceraque mente sacra eorum colenda commendat. Mutatam igitur opinionem sive ex intimo animo fluxit sive, id quod quibusdam ex locis Aristophaneis colligunt, ne contemptor deorum haberetur simulatam, multis locis poeta in chori persona proposuit, ut statim in parodi initio, imprimis v. 365 sqq. 394 sqq. ubi aperte in sophistarum superbiam invehitur. Chori cantica, ut jam dixi, hujus fabulae, quae Goethium prae ceteris delectavit, splendidissimo sunt verborum ornatu instructa, plena divini impetus imaginem praebent bacchici furoris nobilissimam. Sed hoc desidero, ut aliqua ex parte concedat non sine aliquo jure Pentheum reniti novo cultui. Ea enim est lex artis tragicae, ut causarum, quas videmus conflictantes, neutra omni careat jure. Et Sophocles quidem video choro hoc munus detulisse, ut addictus quidem ei, qui primas agit partes, tamen non sit mente tam occaecatus studiique impetu turbatus, ut plane non sentiat alterum etiam habere, quo merito possit niti. In Bacchis quidem, quoniam induxit chorum Baccharum, non potuit alio modo poeta rem instituere; non potuit turba mulierum divino furore perculsarum, quo quis jure resistere possit Bacchi sacris, intelligere; sed choro non convenit, quippe qui non partes unius sequatur, sed medium quiddam inter partes inter se certantes teneat. Non poteramus supersedere singula persequi, quod ut munus est molestissimum, ita ei qui inania caveat et temere prolata summum atque gravissimum. Jam ad rem multo jucundiorem me converto, ut de choro Euripideo in universum exponam. In quo quis negabit eum diversum esse a Sophocleo! Hoc enim vel inde colligi pot-

est, quod tragoediae naturam esse immutatam ab Euripide constat; chorus autem pars est tragoediae; quidni et ipsum contendimus esse immutatum. Porro quem fugit tres illos Graecorum tragicos non idem tenere artis fastigium? Sunt quaedam artis aetates, ad quas revocanda sunt scripta eorum, qui in ea elaboraverunt. Est enim ars crescens, adulta, senescens. Hac ratione esse de poetis tragicis Graecorum judicandum, ut non solum quid ipsi fecerint consideremus, sed etiam ut quibus modis auxerint vel deminuerint totam artem diligenter perscrutemur, ingeniose docuit Gruppius. Per hujus disputatiunculae vellem fines liceret paucis circumscribere et delineare aetates artis eamque efflorescentem eandemque marcescentem depingere, sed acquiescendum in iis, quae ipsi proposito conducant.

Ars Euripidea, ut rem uno verbo praecidam, videtur mihi ad similitudinem carminum epicorum accedere, quod si admireris propter sententiarum copiam ex philosophorum scholis ductarum delectando minus quam docendo inservientium, propter sermones ex rhetorum praeceptis conformatos, propter studium fletus auditoribus excitandi innumerasque querelas quas fundunt ii quos agentes induxit, denique quia secundum illud Sophocleum mores personarum ad aetatis suae rationem effinxit fabulasque ad seculi sui usum studiose accommodavit, haec igitur si mireris quomodo cum epico carmine congruant, concedas ei, qui de artis discriminibus judicet, non fabularum quasi speciem atque formam, sed structuram et compositionem imprimis in judicium esse vocandas. Has autem si recte perspexeris, nonnulla certe invenientur epicis similiora quam tragoediae. Ut a prooemio incipiam, prologus quem Euripides plerisque fabulis praemittit, nonne magis convenit arti epicae? Narrat enim quum deberet, id quod est tragoediae naturae conveniens, rerum expositione spectatores docere. Poetae autem epici brevi prooemio carminis argumentum instruunt, quod quam modeste, quam presse fecerit Homerus videmus. Poetae contra, qui cyclici vocantur, qui non tam id egerunt, ut par-

tem fabularum antiquissimarum eligerent, quam digererent et ad artis praecepta conformarent, quam ut totam fabularum copiam perpetuo carmine comprehenderent, in hoc genere ultra fines evagati esse putandi sunt. Horum prooemia Euripides videtur imitatus esse. Prologorum autem in fabulis Euripideis ratio est diversissima. Antiquissimarum enim fabularum, Alcestidis, Medeae, Hippolyti prologi ea tantum enarrant, quae ipsa fabula continentur, ceteri imprimis recentiorum fabularum, Phoenissarum, Orestis non solum, quae ad ipsam fabulam pertinent, docent, sed etiam personarum quae agunt progeniem ab avo atque atavo copiosissime proferunt. Hoc est ex more poetarum epicorum, qui ab ovo Ledae, quod ajunt, initium faciunt. Alterum opinionis quam proposui documentum est, quod in nonnullis Euripidis fabulis duae actiones in unam sunt copulatae. Hecubae enim fabula circa personam quidem unam versatur, non tamen circa unam actionem *). Quod quum sit a vera epici carminis imagine alienum, non possumus dubitare, quin idem tragoediae naturae renitatur. Aristoteles enim, summus artis aestimator, (de art. poet. c. 8) carmine epico unam jubet repraesentari actionem laudatque Homerum ut ceteris rebus praestantissimum ita hujus praecipue legis bene gnarum. Idem vituperat istos epopoearum scriptores, qui Herculis Theseique fata enarrantes quum deberent in uno consistere, omnia copulantes perfectum quiddam et absolutum sibi videbantur composuisse. Hanc summi philosophi reprehensionem et in Euripidis Hecubam aliasque cadere fabulas statuere non dubito.

Tertium habeo, quod res quasdam immiscuit fabulis digressionibus epicis haud dissimiles ut Euadnam in Supplicibus prodeuntem. Haec autem poetam epicum ut narrantem decere omnes consentiunt, negant autem tragicos, quorum sit res ob oculos ita nobis ponere, ut videamus aliam ex alia nascentem strenuaque rerum continuatione ad

*) cf. K. F. Hermannum l. l. p. V.

exitum perducamur, tales posse interserere delicias. Porro hoc est inter epopoeam et tragoediam Euripideam commune, quod leges illas de temporum et locorum ratione usu certe constitutas transgreditur. Sufficit Aristotelem afferre c. 5. Denique dii in tragoediis Euripideis prodeuntes nodi solvendi causa cum carmine epico habent quandam similitudinem. Epici enim poetae eos fingunt cum hominibus ita versantes ut eos praesentes adjuvent, retardent, quaecunque conantur mortales regant atque moderentur. Tragoediae autem est homines suarum ipsos fortunarum auctores proponere, ita ut si quam contraxerint culpam perpetiendo poenamque subeundo quae perpetraverint exaequent. Haec omnia hac de causa praemisi, quia chorum quoque novissimarum Euripidis fabularum epicum quendam colorem prae se ferre video. Atque mirum est et chorum et totam tragoediam initio lyrico generi proximam in contrarium verti. Quod quum video Sophoclem admiror pulcherrime lyricas partes cum epicis miscentem atque compensantem.

Ad chorum redeo, cujus non eadem est ratio per totam fabularum seriem. In primis enim similior est Sophocli hoc potissimum, quod fabularum commutationibus quae canit accommodat, tum quod utitur sententiis universis, denique quod non ita suarum rerum est studiosus. Hae fabulae sunt Alcestis, Medea, Hippolytus, Jon, Heraclidae. Posteriorum enim fabularum chori sunt longe diversissimi. Agentium quum debeant causam curare, in suis sunt toti, ita ut libera mente careant, nec possint ullo modo chori partes sustinere sed duplicent potius malum protagonistae, sua quum addant. Id quam perverse sit factum, supra demonstravimus. Sophocleum compara chorum, qui tantum abest, ut suas cum actorum querelis misceat, ut eos mitigare et ad modum revocare semper studeat. Alterum posteriorum fabularum est vitium, neque in prioribus satis vitatum, quod non solum in actorum, sed etiam in chori persona audimus poetam quae ipse philosophorum illius aetatis clarissimorum imprimis Anaxagorae doctrina imbutus de rebus coelestibus aliter

ac vulgus sentiret, exponentem. quod ad veteris comoediae parabasin accedere supra dixi.

Denique sub finem vitae poeta chori ita immutavit naturam, ut narrantem eum faceret, non quae sentiat de rebus proloquentem. Carent enim fere universis sententiis recentiorum fabularum chori, quorum in locum longas narrationes substituunt. His autem quoties decantata iterant, quot carminibus, quot prologis a primis fontibus repetunt Atridarum mala, quoties describunt Trojae expugnationem. Ex hoc ipso, quod tot carminibus idem semper tractatur argumentum colligo, ea non esse locis, quos tenent apta. Diversa enim est scenarum sese excipientium ratio, chorus autem, qui carminibus eas distinguit, eadem semper cantans qui potest recta cantare? Epicorum autem more profluere carmina posteriorum fabularum id quoque confirmat, quod stropharum, antistropharum et epodorum distinctio nihil fere valet, nisi quod ad metra attinet. Narratio autem continuatur nulla habita ratione, utrum cum fine strophae finiatur enuntiatum necne. Ambitum quoque chororum animadvertas in fabulis posterioribus multo esse majorem quam in superioribus. Ad metricam artem pertinet, quod numerus epodorum augetur. Phoenissae et Bacchae tres habent epodos, Iphigenia Aulidensis quinque. Postremum num sint apta locis quos tenent carmina quaerenti respondeo chorum etsi plerumque canit, quae ab argumento fabulae haud sint aliena — sunt enim temporum ratione cum eo conjuncta — tamen, quoniam scena unaquaeque diversam praebet rerum conditionem, huic diversitati minime quae intercinit accomodare. Non is sum, qui eo procedam, ut quem Agathonis fuisse morem aperte testatur Aristoteles, ut cantica ad rem nihil pertinentia (ἐμβόλιμα) undique repetita insereret, eum Euripidis fuisse credam. Quamquam non negaverim, carmina nonnulla ab hoc intercalarium genere non longe distare.

Haec si comprehendo, quemadmodum tragoediae natura ab Euripide sit immutata, ita choro quoque aliud quam a Sophocle esse munus datum perspicuum erit. Causas

supra indicavi. Quum in Sophocle id potissimum admiremur, quod omnibus inter se copulatis et ad unum directis totum quiddam efficit, Euripides fabularum structuras ita eluit, ut membra quasi emineant atque exstent, corpus autem fabulae omni careat concinnitate. Itaque chorum sensim a tota fabula recedere judico, ita ut in ultimis fabulis Euripideis nullo cum agentibus necessitatis vinculo conjunctus — fortuito enim prodit — eorum quae aguntur negligens longas continuet narrationes epico colore profluentes et ad rem nihil pertinentes. Hoc videtur Aristophanes vituperare (Ach. 442 sqq. Dind. cf. schol.). Itaque Goethio assentior, quum dicit (Briefwechsel mit Zelter I., 69): In der vierten Epoche zieht sich die Handlung immer mehr ins Privatinteresse zurück, der Chor erscheint oft als ein lästiges Herkommen, als ein aufgeerbtes Inventarstück. Er wird unnöthig, und also, in einem lebendigen poetischen Ganzen, gleich unnütz, lästig und zerstörend. Porro per chorum poeta quid ipse de rebus subtilibus sentiat declarat, qui mos mutatum temporis ingenium depingit, quo sua quisque curabat. Gravissimum autem est, quod seculum Euripidis cultu deorum antiquitus traditorum relicto impia mente quae antea erant firma atque sancita in dubitationem vocabat. Inde factum est, ut a sublimi gradu, quo incedebat chorus Sophoclis ad indignas familiaris alicujus partes descenderet. Omnino quo magis provehimur temporum cursu, eo magis recedit ars a deorum cultu, in quo antiquissimis temporibus fere tota versatur. Hodie videas quanto distent inter se discidio. Sed in ipsa Graecia idem videmus. Chorum autem si recte diximus deorum esse sacerdotem, ab illo poeta, qui deos populares a principatu quasi dejecit, pristina sublimitate esse spoliatum minime mirum est. Vigente enim auctoritate deorum chori dignitas viget, senescente senescit. —

Druck von Junge & Sohn.

